

tur. docebimus ad finem cap. 10. vbi eas ad simplices fractiones reuocabimus.

REDUCTIO FRACTORVM NUMERORVM ad minimos numeros, siue terminos.

CAPVT IX.

Cur minutia ad minimos terminos reducantur.

**A**ccidit nonnunquam, vt minutia aliqua ita magnis numeris scribatur, vt commode minoribus possit exprimi, non mutato eius valore, ac pretio. Vt hæc minutia  $\frac{36}{2}$ . æquiualeat huic  $\frac{1}{2}$ . minimis, vt vides, numeris expressæ. Operæ pretium est autem minutiam maioribus numeris scriptam ad minimos numeros, terminosve reuocare, multas ob causas. Primum, quia facilius minutia quæuis minoribus numeris expressa intelligitur, quàm maioribus numeris scripta. Quis enim non facilius percipit  $\frac{1}{2}$ . quàm  $\frac{36}{2}$ . aut quàm  $\frac{500}{1000}$ . aut quàm  $\frac{826}{1000}$ . cum tamen omnes idem prorsus significant? Deinde, quoniam facilius redditur operatio fractionũ, si ad minimos terminos sint reductæ, vt ex sequentibus fiet perspicuum. Tertio, vt Mathematicorum libri, qui minutias plerunque minimis solent numeris notare, intelligantur. Si enim, verbi gratia, quis inueniat à quopiam scriptum, numerum hunc 2528. per 48. diuisum facere Quotientem 52.  $\frac{2}{3}$ . ipse vero hoc velit examinare, reperiet Quotientem 52  $\frac{32}{48}$ . qui ab illo differre videtur, cum tamen idem sit. Minutia enim hæc  $\frac{32}{48}$ . ad minimos terminos reducta facit  $\frac{2}{3}$ . Quare antequam iudicet, se, aut